

ger ad¹ sueta solatia, orat Dominum, qui cunctorum dator² est, ut ei, quod ceteris fenore tribuat, largiatur. Gundobertum vocat, paucos nummos deferri iubet. At ubi ipse nummorum requirit paucitatem, mirum in modum miraculi³ factum: tantum inibi Dominus fudit peccuniam, quanta pauperum pro foribus stabat caterva.

Quod in adventum⁴ hospitem peregrisset miraculum, non est silendum. Cum vero cum ipsis beata consuetudine, caritate provida cybum sumere decrevisset, interrogat ministrum, si de piscium dapes aliquantum haberet. Ad haec fatetur discoferus, nullam se vel minimam habere particulam. Iubet puero pergere ad fluvium, ut deferret limpham. Haurit puer, talem in vas suscepit piscem, ut refectionis causa hospitem esuriem foveret. Nec invalida⁵ manus Domini quicquam suis prestare gratuita⁶, qui, ut voluit, cuncta iussu suorum⁷ produxit in formas.

Et ut mos est regentibus parrochiis paschalibus diebus episcopi⁸ se representare aspectibus, adveniunt solito quam plurimi sacerdotum ad urbem, inter quos beati Preiecti adfuit presentia. Qui post inlata salutatione ad propriam in eandem urbem advenit⁹ domum, convivia preparat et, ut talium¹⁰ dierum conferri sodalibus adsolet, in solarium sibi preparari iubet convivium. Adveniens turba non modica discunbentium, inter quos tres discunbunt paenitentes, quorum ista erant nomina: Venerianus Dei famulus, qui nomine¹¹ cum opere inplebat, Gisoaldus¹² testis Christi, Marialdus monachus. Adcunbunt¹³ more, prebentur aepule, reprehenduntur paenitentes ad cum-sedentibus, et in chachinnos atque risos vanos se adtollunt ac non modice paenitentiae detractores existunt. E contra beatissimus Praeiectionis solita consuetudine eos premonebat, sibi talia peragi oportere potius quam detrahere. Illi vero non cessant, ut Dei servos¹⁴ non detrahant, sed sublimius risu in auras elationis adtollunt. Sed Arbiter ille, qui pio moderamine cuncta disponit et regit et qui suorum solamina non inaniter prebet, Preiecti adstitit non modicus defensor. Disrumpuntur ligna solarii et usque ad pavimentum labuntur in frustra; aemuli detractores ruunt ad ima. Beatus vero Preiectus cum paenitentibus collegas suos ad mensam resedit ovans, ut daretur intelligi, quia¹⁵ potens est ipse iuxta psalmiste vocem

1) 'ad manus assueta' 2 a.; 'ad manuum asueta' 2 b. 2) 'datorum' 1.
3) 'miraculo facto tantam' 2 a. b. 4) 'adventum' 1; 'adventu' 2 b.
5) 'quic' add., sed eras. 1. 6) 'gratuito' 2 a. b. 7) 'suo' 2 a.; 'suas' 2 b.
8) 'episcopis' 1; 'ipsi' 2 b. 9) 'adveniunt' 1, corr. 10) ita 1. 2 b.;
'talibus diebus' 2 a. 11) 'nomen equum' 2 b.; 'nomen' (om. 'cum') 2 a.
12) 'Gosoaldus' 2 a. b. 13) 'ex' add. 2 a. b. 14) ('servos non de'
pr. m. in mg. suppl.) 'detrahant' 1. 15) 'q. p. e. i.' om. 2 b.